

prudentum definitio. Hug. Grot. *tr. de jur. bell. & pac. libr. 2. cap. 16. num. 3.* Unde Cicero, *Dialecticorum verba*, inquit, *nulla sunt publica; suis utuntur; & id quidem commune omnium fere est Artium.* Sumitur autem III. Arrha in legibus nostris pro re, quæ datur in signum & argumentum negotii contracti, facilio- ris & evidentioris probationis gratia. *l. 35. pr. ff. de contrah. empt. pr. Inst. de empt. & vend.* Dn. Georg. Frantzk. *in comm. D. tit. de contrah. empt. n. 11.* Et IV. sicuti Mutuum, Pignus, & De- positum, interdum pro ipsa re, quæ mutua datur, oppignora- tur vel deponitur, interdum vero pro ipso accipitur actu, quo res ex dd. causis traduntur: ita etiam vocabulum Arrhæ a quibusdam sumitur pro ipso negotio & Arrhæ datione, per *pr. Inst. de empt. & vend. Zæf. in comm. D. de spons. num. 7.* ubi Arrham definit, *quod sit datio, &c.* V. In Hispania, & apud illius juris interpretes, hoc vocabulo denotatur certa aliqua donationis species, quam facit sponsus sponsæ, vel maritus uxori, in præmium dotis receptæ &c. ita ut illam uxor soluto matrimonio lucretur; de qua late disputat Paul. Christin. *vol. 3. dec. 127. n. 1. & seqq.* Molin. *de Inst. & Jur. disput. 431. n. 2. & seqq.* Alvar. Valasc. *tom. 1. decis. Lusitan. 2. Gutierr. de matrim. cap. 19.* Quarta significatio præcipue est hu- jus loci.

IV.

Veteres Arrham sæpius Arrhabonem dixerunt. Varro, *libr. 4. de ling. latin.* Zæf. *in comm. D. tit. de contrah. empt. num. 37.* Cujac. *in comm. D. in l. 35. de contrah. empt.* Pignus vocatur in *l. un. C. si Reçt. provine. vel ad eum pertinent. sponsal. ded. l. 6. C. Theodos. de sponsal. can. fœminæ. 30. quæst. 5. vers.* Item quod in primis negotiis annulus a sponso sponsæ datur, fit hoc nimirum vel propter mutue fidei signum, vel propter id magis, ut eodem Pignore eorum corda jungantur, & apud interpretes passim; late tamen pignoris vocabulo accepto. Proprie enim lo- quendo Arrha non est pignus, sed inter hæc duo maxima est diffe- rentia; de qua in seqq.